

D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA,
CONTINENS DISQUISITIONEM:

AN HOMINES PER NATURAM PRO-
PENDEANT IN VITIA?

QUAM,
CONS. AMPLISS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

Mag. JOHANNES BILMARK,

Histor. & Philos. Pract. Professore Reg. & Ordin.

PRO GRADU Philosophico,

Publice examinandam proponit

OLAUS EKELIND,

Nericius,

In Audit. Maj. d. 13 Jun. 1798,

H. A. M. C.,



ABOË,

TYPIS FRENCKELLIANIS.

IN
SACRAM REGIAM MAJESTATEM

Magnæ Fidei Viro,

Domino

STEPHANO INSULIN,

S. S. Theologiæ Doctori

Consummatissimo,

Dioeceseos Stregnesensis

Episcopo

eminentissimo,

Gymnafii Scholarumque ibidem

Ephoro

Accuratissimo,

MÆCENATI MAGNO,

Opusculum hocce Academicum, in signum pietatis ac venerabundi animi consecratum voluit, debuit,

Reverendisimi Nominis Sui

Cultor humillimus,

OLAUS EKELIND.



PRÆFATIO.

Quod homines per naturam in vitia propendeant, opinio est, quæ non solum inter plebem loco axiomatis dudum invaluit, sed ex qua etiam Eruditorum cathedræ ac pulpita sæpissime resonant, adeo ut ista sententia nullam amplius admittere videatur disquisitionem. Enimvero quum propositionis cujusvis veritas, non ex numero hominum illam affirmantium sed ex argumentorum eam confirmantium pondere sit æstimanda, in præsentî dissertatione istam examinabimus persuasionem, de eo solliciti, ne nubem pro Junone amplectamur. Ita autem campum nobis propositum emensuri nos geremus, ut altero oculo ducem sequamur rationem, altero autem Divinam Revelationem, tamquam certissimam helicen, respiciamus ac veneremur; quo quidem modo spem fovemus, meditationes nostras, si minus forte Lectoribus placeant, aut eorum assensum non mereantur, excusationem tamen apud æquos rerum æstimatores impetraturas.

§. I.

Quum homines ex culta sua rite utentes ratione, hujus ope ex consideratione rerum creaturarum factis superque colligere possint, non solum dari Ens
A quod-

quoddam Supremum, Sapientissimum & Omnipotens, verum etiam infinitam esse Dei bonitatem, qua fit, ut creaturarum suarum felicitate nunquam non delectetur; attamen multa mala tam physica, quam moralia, quocunque se convertant, eos circumstrepant; inde ab antiquissimis retro temporibus multi anxie quaesiverunt, unde hæc, præcipue Deo invito, provenerint? Ex quo tam tortuoso labyrintho ut se expedirent veteres Philosophi, plerique eorum, acuti quidem, sed ethnicismi caligine circumfusi, statuerunt, duo fuisse rerum principia, seu Deos, sibi met plane contrarios, quorum alter bona, alter mala mortalibus immitteret. Atque in ejusdem opinionis luto haud paucos quoque Christianorum primis hæsisse seculis constat, sollicitos tamen, quomodo Deum, quem nemo non optimum & sanctissimum esse cognovit, idoneis argumentis a culpa & causa mali liberarent. Enimvero nemo Christianorum, nisi in meridiana forte cœcutiens luce, ignorare potest, originem mali moralis a transgressione legis, Protoplastis, ceu generis humani capitibus repræsentativis, a Deo præscriptæ, esse repetendam. Quo circa tamen subdubitari potest, an labes ista intime adeo pervaserit transgressores, ut hi & omnes sui posteris exinde per suam naturam, id est, per præsentem partium essentialium & harum facultatum indolem non possint non in vitia seu mala moralia jam propendere; in quo totus præsentis disquisitionis cardo vertitur.

§. II.

Hanc rite diremturos controversiam, juvat pedem ad mundi incunabula referre. Postquam igitur Deus totum creationis opus absolvisset, a Sacro Amanuensi inducitur ut Architectus, ædificii, a se consummati, symmetriam contemplatus, & quum idem sibi placeret, declarans; *omnia esse valde bona Gen. I: 31*, id est sapientiæ suæ infinitæ convenientia. Attamen quum singulæ res creatæ fuerint per suam essentiam limitatæ; omnimodæ perfectionis capaces non fuerunt, quo tamen ipso non eas desiderabant dotes, quæ singulis, si minus individuis, attamen speciebus, ut ad eam, quam Optimus Deus destinaverat, felicitatem pervenirent, erant necessariæ. De Protoplastis autem speciatim legimus, quod ad *imaginem Dei fuerint conditi*; qua emphatica locutione indigitatur primæva eorum indoles, in sapientia, & sanctitate animæ se exferens. Perspicaci igitur ratione ac proba voluntate, compositisque valuerunt affectibus, tanta etiam gavisi sunt libertate, quanta etiam abuti possent; qualem vero abusum sibi, in summa rerum, ad necessitates & delicias vitæ pertinentium, copia viventibus, nonnisi per adfectatam animi levitatem permittere potuerunt. Quod tamen factum novimus, dum lenociniis Diaboli magis, quam Divino mandato morem gerentes, ex arboris illius fructu, cujus esus sub mortis poena eis fuit interdictus, comederunt. Ponamus autem, eos fructum non gustasse; attamen dum eun-

dem concupiverunt, dum inter se deliberarunt, an Deo vel diabolo, quem apostatam ac seductorem esse noverunt, magis parerent, eo ipso gravissime peccarunt, ac poenae indictae rei facti, cum non utentes, tum abutentes facultatibus & viribus sibi concessis. Utroque hoc modo natura seu indoles hominis insigniter fuit corrupta, ad eum ferme modum, quo is, qui noxium sumit alimentum, exinde virium corporis imminutionem ac mentis hebetudinem solet experiri. Nemo tamen propterea inferat, vitium ita factum esse malum hominis essenziale, nisi simul falso statuere velit, Deum, essentialium auctorem, esse etiam auctorem mali moralis, quod sanctitati suae penitus adversatur. Et si quis forte contendat, animae & corporis dotes, post labem a protoplastis contractam, in alias prioribus contrarias fuisse mutatas; quæri vicissim potest: a quo talis producta fuit contrarietas? Non certe a Deo, omnis boni Auctore, nec a comesto arboris vetitæ fructu, ita enim culpa in Deum conjicitur, nec ab ipso homine utpote per se & Deo vires non sufficiente invalido, qui aliquid efficeret. Ex quibus in medium allatis, & dum in conclusionem non plus, quam in præmissis fuit, admittitur; inferre non præter rem licet, indolem humanam lapsu primorum parentum gravissime quidem adstrictam, in naturam tamen, priori adversam, non fuisse commutatam.

§. III.

Ut vero magis dispalescat: An homines per naturam in vitia propendeant, agedum, præsentem animæ nostræ facultatum, quæ sunt principia moralitatis actionum, conditionem sub examen revocemus. Quocirca primum consideranda venit anima, genuina Imaginis Divinæ in protoplastis sedes, & imprimis Intellectus, seu facultas res obvias cognoscendi, atque de harum tam indole, quam ad se relatione recte judicandi. Sine hæsitationis igitur periculo statuimus, Adami intellectum tanta, quanta in hominem cadere potest, perspicacia valuisse, hanc tamen non eo extendendam, ut vel aliter res sibi repræsentaverit, vel alio, quam nos, modo de eis judicaverit. Imo fingere non licet, Adamum, a priori, ceu dici suevit, & rerum experientia nondum consultata, harum qualitates introspexisse, quum ejusmodi intellectus acies ad omniscientiam, proprium Dei attributum, sit referenda. Obtusa autem licet in nobis sit veri perspicientia; ferimur tamen, quotquot sumus homines,, naturali sciendi desiderio, eo non tendente, ut inani satisfaciamus curiositati, sed ut ad veritatem primo, ac deinde per hanc cognitam ad felicitatem & boni fruitionem perveniamus, atque ita declinemus nocitura, id est vitia; quæ quidem cognitionis acquisitio nec multam nec anxiam plerisque in casibus postulat disquisitionem. Bene enim jam pridem observavit Cel. Puffendorfius: *cuilibet homini matura ætate & mente in-*

tegra tantum superesse naturalis velut luminis, ut, adhibita cultura ac debita meditatione possit recte comprehendere saltem generalia illa præcepta & principia, quæ ad vitam hancce honeste & tranquille exigendam faciunt, simulque judicare, ista utique indoli humanæ congruere (a). Imo intellectus noster invenitur per naturam rectus, quam quoque semper exsereret præstantiam, nisi causis extra se, utpote prava educatione & conversatione nec non præjudiciorum farragine in errorum devia distraheretur (b). Quid? quod ne homines in vero ac bono quærendo defatigarentur, Deus talem nobis concessit naturam, ut per sedulam quorundam præceptorum, in se utique nec cognitu nec præstito difficilium, observantiam exoptata potiremur felicitate; adeo ut luculenta *Αὐταγυεῖας* indicia æque apud simplicem plebem, quam acutissimos se prodant Philosophos, re aliter se habitura, si homines per naturam virtutes averfarentur & in vitia propenderent.

(a) *Vid. Libr. I de officio hominis & civis Cap. 1. §. IV*

(b) *BURLAMAQUI Principes du Droit Naturel p. m. 5 & 6.*

§. IV.

Quantumvis autem grata & jucunda homini obveniat veri perspicientia; hæc tamen sola cognitio ei, cum majoris tum continuæ felicitatis cupidissimo, nequaquam sufficit; cujus potiundæ causa Optimus Deus alteram animæ nostræ indidit dotem, quam *Voluntatem* appellamus, eaque designamus facultatem ad res
ab

ab intellectu oblatas, sponte sua se movendi, idque ita, ut earum fruitionem, si statui suo perficiendo inserviat, appetat, alias vero sibi noxias futuras aversetur & declinet; qualis quidem prima voluntatis dispositio ei est naturalis, atque usus ejusdem adeo liber, ut prore nata actus vel peragi vel suspendi & omitti possit. Quum igitur prævia constet experientia, vitium quodvis per suam indolem esse malum ac perniciem flagitioso adferre, homo per suæ voluntatis, sanæ adhuc, nec passionibus oppressæ, naturam, in vitia propendere non potest. Frustra omnino in contrarium objicitur: nunquam futurum, ut multi mortalium non solum vellent vitia, sed in eis etiam patrandis, quoties spes impunitatis apparet, delectationem non raro invenirent, si voluntatis nostræ indoles in bonum esset propensa. Enimvero in memoratis casibus voluntas hominis vitiosi per suam socordiam facta est ægra; qua fit, ut sicut ex morbo laborantes noxia sæpe appetunt alimenta; ita ægra voluntas sic distorqueat sana de actionum moralitate judicia, ut fallacibus passionum lenociniis majorem quam intellectus rectitudini, habeat fidem; illudque quod speciem boni mentitur, ei præferat, quod veræ suæ conservationi, commoditati ac perfectioni conducatur. Luculentissimum hujus rei exemplum nobis præbet Regia Virgo, Medea, quæ, imprudenti amore fascinata, conjunctionem cum peregrino principe, dissvadente licet ratione, vehementer appetebat; erat igitur ipsa in statu non naturali, sed plane præternaturali, a cujus indole

le & miseria ad illius conditionem non nisi præpostere argumentatur. Haud incommode igitur huc applicari potest Recentioris cujusdam Scriptoris effatum: *Dire, que l'homme est enclin au mal par la nature de son ame, c'est comme si l'on diroit, qu' il est enclin à sa destruction par la nature de son corps* (a). Quid? quod voluntas nostra eo minus in vitia naturaliter propendere sit censenda, quo certius constat, nos per eam non qualecunque bonum promiscue appetere, sed ex pluribus bonis, quod non raro contingit, sibi propositis, optimum, id est quod plura commendant motiva, feligere. Cui sententiæ haud repugnat, quod unus alterve, vertigine sensuum interdum abreptus, in mala se conjiciat funestissima; quum talis, sui ipsius impotens, malum istud, utut truculentissimum, judicet tamen tolerabilius, quam eam, qua per vel præter suam culpam premitur, calamitatem; malum igitur in se statuendum, si minus beneficii, attamen solaminis loco habens.

(a) *Vid. Elemens Politiques Tom. I. p. m. 269.*

§. V.

Indidit præterea Deus O. M. naturæ animalium viventium tenerrimum sui amorem, ea sollicitantem, cum ut acceptas naturæ dotes studiose conservare, tum ut has magis magisque perficere nitantur. Quum igitur per naturalem hanc philautiam homines, imprimis dum sapiunt, ad majorem tendant perfectionem,

&

& oppositorum sit opposita ratio, non possunt non per suam naturam, seu per naturalem instinctum, suam averfari imperfectionem seu vitia tam physica, quam moralia evitare; unde prona fluit consequentia, homines per naturam in vitia non propendere.

Nobis autem hoc loco fortissimos, ut sibi videntur, arietes opponunt nonnulli, graviter urgentes, philautiam omnem e circo mortalium eo magis esse proferendam, quod eidem, ceu generici, suam pleraque vitia, in quæ homines abripiantur, debeant originem. Enimvero bona verba quæsumus, de re ipsa primum conveniamus, antequam hujus examinabimus effectus. Philautia igitur naturalis studium nostræ felicitatis nobis injungit; quem enim amamus, ex hujus perfectione ac felicitate delectationem capimus; imitatur ita Sanctissimi Dei exemplum, legi Divinæ morem gerimus, nos ipsos quantum & quamdiu per nostras fieri potest vires, conservamus, hætenus igitur veri nominis philautia est virtutum alrix; quam qui sibi denegat, in gravissima ferociter ruit vitia. Cum hac autem philautia & naturali & rationali ac necessaria nullam habet cognationem monstrum, cui idem afflictum fuit nomen, a vanitate & superbia suos repetens natales; qua ipsa sicut homo suum se constituit idolum ac cuncta proinde sensualibus suis posthabet voluptatibus; ita etiam suos cultores, vi suæ indolis, in vitiorum quorumvis gurgitem præcipites agit. Sed hæc de præstantia prioris nihil derogat; nulla enim est virtus, quantumvis eximia, quæ contra suam natu-

ram perverse applicari non potest, adeoque in vitii speciem degenerare.

§. VI.

Quamvis hæc, quæ de naturalis philantiæ ad indolem humanam habitu hactenus differuimus, admodum plana videantur; dantur tamen Philosophi, existimantes, amorem sui & hinc proveniens felicitatis studium esse virtutum, pariter ac vitiorum matrem. Citare solummodo liceat Cel. Cl. A. HELVETIUM, Auctorem Eclecticum, sane acutissimum, ita verba facientem: *Nul individu ne nait bon, nul individu ne nait méchant. Les hommes sont l'un ou l'autre, selon qu' un intérêt conforme ou contraire les réunit ou les divise. Des Philosophes croient les hommes nés dans L'état de guerre. Le desir commun de posséder les memes choses, les arme, disent - ils, dès le berceau les uns contre les autres. L'état de guerre sans doute suit de près l'instant de leur naissance; La paix entre eux est peu durable. Cependant ils ne naisent point ennemis. La bonté ou la méchanceté est en eux un accident; c'est le produit de leurs loix bonnes ou mauvaises.* (a). Enimvero conceptu est difficile, quomodo eadem mater, philautia, diversam adeo prolem, bonam & malam, producere queat. Ponamus præterea homines solitarios, in statu naturali viventes, de his certe non præsumendum, eos, quamvis nullis subsint legibus humanis, omni rationis lucula destitui; proindeque officia Deo, sibi ipsis, quin

& aliis, si quædam inter eos existat commodorum relatio, non præstituros; nulla enim subest ratio, quare hi solitarii malis patrandis distinerentur, quibus seipsos fruitione felicitatis privarent, nec invidia, nec odio, nec aliis congeneribus passionibus eos in ista solitudine ad pravæ actionis sollicitantibus: quare indoles veræ philautiæ in vitia non est prona.

(a) *Vid. Oeuvres d' Helvetius Tom. IV: p. m. 62 & 63.*

§. VII.

In scriptis Philosophorum præcipue recentiorum frequens quidem sensus Moralis fit mentio, sed ita tamen, ut quem alii admittant & confirmant, eum alii vicissim impugnent & plane rejiciant, illum pro ente rationis eo confidentius habentes, quod præter quinque sensus, cunctis animantibus communes, sextum haud concipere possint (a). Parum autem hoc stringit argumentum; faciles concedimus, sensus nostros externos ad quinque revocari posse species, dantur tamen præterea sensus interni; quum in confesso sit, ideas nostras mediantibus sensationibus formari. Ut vero in rem præsentem veniamus; sensum Moralem definimus per illum animæ nostræ quasi gustum (b), qui in constitutione ejus interna fundatus, nobis citra omnem perceptibilem rationis opem & ante omnem dijudicationem vel præviam cogitationem, quid bonum, quidque [malum moraliter sit, indicat. Rem ita

se habere, multiplex docet experientia; animadvertere enim licet, infantes adhuc teneros, & ratiocinandi facultate nondum pollentes, partim bonis lætari factis, partim gravioribus facinoribus ita contristari, ut in querelas & lacrymas erumpant, quamvis malum inferatur hominibus, sibi prorsus ignotis. Quid? quod simulacrum, ne plus dicam, sensus hujus moralis bruta quædam non raro prodant, in communem afflictæ fortis humanæ societatem sponte sua & sola natura incitante, venientia. Dicat forte quispiam: Sensem Moralem nihil aliud esse, quam amorem sui, diverso vocabulo expressum. Enimvero amor sui non movetur nisi rebus, statui hominis vel perficiendo vel deteriore reddendo conducentibus, dum sensus moralis alios præcipue respiciat. Amamus enim & æstimamus homines, quos nunquam vidimus, & successibus eorum lætamur, malisque dolemus, quamvis nulla eorum sit ad nos relatio, tantum quod homines sunt, & communem nobiscum habent naturam. Quomodo autem se habet sensus modo dictus ad vitia? Profecto intra se repugnantiam sentit maleficus, ad facinus quoddam se accingens, ipsa natura isti molimini se quasi opponente (c), & ejusdem executionem in ipso proposito impeditura. Unde dilucide apparet, homines per naturam in vitia non propendere. Quæ de re ut plenius convincamur, juvat nonnulla ex eis, quæ in hanc rem egregie differit Cel. BURLEMAQUI, afferre: *Les besoins présents & indispensables demandoient que l'homme fut conduit par la voye du senti-*

ti-

timent, toujours plus vif & plus prompt que n'est le raisonnement - - - Dieu a donc jugé à propos d'employer aussi cette voye, à l'égard de la conduite morale de l'homme, & cela en imprimant en nous un sentiment, ou un gout de vertu & de justice, qui prévient en quelque sorte le raisonnement, qui décide de nos premiers mouvemens, & qui supplé heureusement chez la plupart des hommes au défaut d'attention ou de réflexion. Car combien de gens negligeroient de réfléchir? Combien sont si grossiers & mènent une vie si animale qu'à peine savent-ils développer trois ou quatre idées, pour former ce qu'on appelle un raisonnement? Il étoit donc bien utile, que le Créateur nous donnât un discernement du Bien & du Mal, avec l'amour de l'un & l'aversion de l'autre, par un sorte de faculté prompte & vive, qui n'eût pas besoin d'attendre les spéculations de l'esprit (d).

§. VIII.

- (a) *Cel. HELVETIUS* in libro de *L'homme & de son education* in eo occupatur, ut existantiam sensus moralis impugnet, vid. *Ses Oeuvres Tom. IV. p. m. 64 & seq.*
 (b) Sumitur vocabulum gustus heic metaphorice, æstimationem rerum involvens, notioni nostræ exprimendæ interserviens. Et certe placet jucunda illa similitudo inter gustationem ciborum potuumque, nec non aliarum rerum etiam actionum moralium æstimationem intercedens. (c) Hinc *SENECA* Libr. I. *Epist. CXXII. p. m. 281: Omnia vitia contra naturam fiunt.* (d) Vid. Libr. ante citat. p. m. 130, 131. De sensu etiam Morali egregie disserit de *HUTCHESON Systeme de la Philosophie Morale, Tom. I. p. m. 91 seq.*

